

**E**Xplicationi verborum brevem subjiciamus cantici analyfin. Scopus prophetæ est, DEVM rogare, ut misereatur populi sui, eumque liberet ex captivitate Babyloniorum, & impleat promissiones de Messia per Prophetas datas. Hic scopus patet, ex inscriptione, quæ est oratio, & ex v. 2. *Domine opus tuum in proximis annis repete, & in proximis annis ostende nobis illud, in ira misericordie recorderis.* Ut vero Judæi hanc orationem firma fiducia in DEO orent, excitare eam studet, commemoratione operum DEI admirandorum, in gratiam & salutem Israëlitarum factorum. Benefactorum enim recordatione gratiam simul cognoscimus, quæ DEVS suos fideles complectitur. Hac intentione propheta in suam & Judæorum fidelium memoriam revocat 1) epiphaniam DEI admirandam in monte Sinai factam, quæ Decalogus promulgatus est. v. 3, 4, 5. Proponit deinde propheta 2) Miracula & opera admiranda, quibus DEVS Israelitas in terram Cananæam introduxit, v. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. quæ omnia stylo poëtico & sublimi describuntur. Porro propheta 3) commemorat opera admiranda, quæ DEVS Regum tempore ad salutem populi sui patravit, v. 13, 14, 15. Hæc cum celebrasset benigna DEI opera, recidit 4) in memoriam prophetæ propinqua captivitas, quam DEI mandato prædixerat Judæis, & hæc comovet tristitiæ & metus affectum, quem una cum causa exprimit v. 16, 17. Tandem 5) supprimit tristitiam, metumque abjicit, virtute fiduciæ in DEO collocatæ, spemque concipit, fore, ut DEI benignitate cum Judæis fidelibus restituatur in statum lætum, quo spectant v. 18, 19. Hæc sunt præcipua hujus cantici momenta, reliqua specialia quivis facile ex prædictis intelligere & addere poterit. Nos DEO in calamitatibus & persecutionibus nostris fidei conservatori & defensori gratias agimus, quod pedes nostros super excelsa ponat.

## COROLLARIA.

- 1) *Miracula, quæ DEVS in salutem Ecclesia V. T. fecit, excitant quoque fiduciam fidelium N. T.*
- 2) *Fideles calamitatibus publicis pressi, tristes quidem sunt & patiuntur, sed divino solatio eriguntur.*
- 3) *Orationes fidelium DEVS semper audit benigne.*
- 4) *Quos DEVS vocat prophetas, etiam in summis calamitatibus benigne conservat.*

SOLI DEO GLORIA.